

Ἐπέμνησεν ὁ Θεὸς, ἅ ἀυτὸς ὑπάρχει: longè Deus essentiâ sua est, sicuti supra corpus ita supra incorporeum: utriusque scilicet horum conditor: nihil enim fecit Deus, quod idem sit, quod ipse est, Iustinus Quæst. græc. confut. f. 157. edit. an. 1593.

67. Quando igitur Scriptura, ad humani intellectus crassitiem κατ' ἀνθρώπων πρὸς θεὸν sese demittit, varia membra corporea, imò situm & motū Deo tribuens, nefas profectò fuerit, crassioribus de DEO cōceptis cogitationibus, aliquid vel corporale & materiatum, vel aliud quippiam essentiâ divinâ simplicissimâ indignū, sentire aut cogitare.

68. Sed scripturarum mentem secuti, non propriè ac simpliciter, sed figuratè & κατὰ μετὰ φύσιν de DEO ista predicari statuemus: ut nimirum per vultum DEI, ipsius manifestationem; per Os autoritatem ac potestatem mandandi: per Oculos omnisciam providentiam: per dexteram, potentiam: per Sessionem, autoritatem: per Descensum, singularem manifestationem præsentiae ejus: &c. notari, meminerimus.

79. Est verò hinc Consequens, Incorporeus cū Impartibilis DEVS, imò Spiritus, rectissimè à Confessoribus nostris, ei alterum quoque ascribi attributum ἀποφαιτικόν, ut videlicet impartibilis dicatur: cuius respectu, uti Deus simplicissima planè est essentia, omnium omninò accidentium expers: ita omnis quoque cōpositionis, divisionis & multiplicationis respectum omnem prorsus respuit.